



Disputatio juridica inauguralis de fideicommisso universali et ad senatusconsultum Trebellianum

<https://hdl.handle.net/1874/343280>

36.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A V G U R A L I S ,
D E

Fideicommisso Universali & ad
SC^{tum} Trebellianum ,

Q U A M
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae, & Historiarum Professo-
ris Ordinarii, M

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit.

ABRAHAMUS WILTENS, ROTEROD. BAT.

Ad diem 26. Novemb. hora locoque solito.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clc Icc xc.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N Q U E S T I O N E A V I I

L i b r e c o m m u n i o n i U n i v e r s i t a t i s a p
S C . T i p e g i l i s i d i u m .

Imperator JUSTINIANUS Aug.

Novel. XLIV. cap. 1. §. 3.

MELIUS. EST. PAUCA. AGERE. CAUTE. QUAM
MULTIS. INTERESSE. PERICULOSE.

Non enim multis immorari, proficientis est, sed errantibus, melioribus vero multum immorari, ea demum diligentia viam facit expeditam ad solidam eruditionem. Nec enim librorum multiplex lectio quicquam praestat sine accurata judicii acrimonia, quod Imperatori Sapientissimo CAUTE AGERE est, cum contrarii PERICULOSE MULTIS INTERESSE illi videantur.

Reverendo & Honoratissimo

V I R O

D. ÆGIDIO WILTENS,

Patri in æternum observan-
do.

U T E T

Clarissimis Gravissimisque

V I R I S,

D. LUCÆ VANDER POL,

D. JOHANNI VAN MUY-

DEN, Promotori veneran-
do, juris utriusque DD. ejus-
dem facultatis in inclita hac
nostra Academia Professori-
bus indefessis vigilantissimis.

P R A T E R E A

Eruditissimis ac Consultissimis

V I R I S,

D. GERARDO EVERSDYCK , J. U. D. coram
utraque Hollandiæ Curia
Patrono causarum disertissi-
mo plurimum honorando.

D.DANIELI van HEMERT,
J.U.D. Studiorum directo-
ri benevolo.

Hanc disputationem ac se ipsum ut qualemque
erga viros meritissimos grati animi indicium
extaret, debita reverentia offert & inscrit.

ABRAHAMUS WILTENS.

Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

Fideicommisso universali &
ad SC^{tum} Trebellianum.

CAPUT PRIMUM.

De Origine & definitione.



Rdo expostulat , nec inconveniens
putavi , si ab origine fideicommissi
initium nostrę tractationis facerem ,
itaque prima origo fideicommissorum
fuit , quod olim testatores , si
aliqui directe non poterant esse hæ-
redes , alterum hæredem institue-
bant , & ipsius fideicommittebant ,
ut id restitueret illis quos directe instituere non potue-
rat ,

6 DISPUTATIO JURIDICA

rat , itaque ratio appellationis est , quod res fi-
dei ejus qui rogatus est , committatur. Olim sane ita
res pendebat ex fide ejus qui rogabatur , ut ipse praesta-
ret , si vellet si nollet , nulla esset necessitas præstandi ,
quia nullo vinculo juris sed tantum pudore eorum , qui
rogabantur , continebantur : sed postea Imperator Au-
gustus semel iterumque gratia personarum motus jussit
Consulibus auctoritatem suam interponere. Quod quia
justum videbatur paulatim factum est , ut præstatio fi-
deicommissorum non amplius esset libera & ex fide fo-
la , sed id totum conversum est in assiduam jurisdicção-
nem proprio prætore creato , qui jus de fideicommissis
diceret , quem appellabant fideicommissarium , *eod.*
§. 1. l. 4. in fine ff. quib. ad libert. procl. non lic. l. 2.
Cod. qui pot. in pign. proposita origine tum rei tum
vocis rem ipsum ita definiri posse puto fideicommissum
est ultimæ voluntatis dispositio qua ei ad quem
aliquid per venturum est voluntate defuncti manda-
tur , ut id alteri vel in totum vel pro parte restituat
vel aliud quid præstet.

CAPUT SECUNDUM.

De fideicommissorum divisione.

Fideicomissa apud D. D. triplici modo dividun-
tur : Prima divisio est , quod fideicommissum est
universale & particulare *l. 1. ff. ad Sctum Trebell.* uni-
versale , cum hæres rogatur de tota hæreditate vel parte
ejus

ejus restituenda §. 2. *inst. de fideicom. hæred.* singulare, cum aliquis rogatur de certa re restituenda veluti domo *pr. inst. de sing. reb. per fideicom. relict.* præterea est vel expressum vel tacitum. Expressum est, quod expressis verbis relinquitur, nec refert qualia sint verba, modo sint significantia legitimum testatoris sensum fideicommittere volentis, sive sint præceptiva sive precaria *l. 2. Cod. com. de leg. l. 19. §. 1. ff.* ad SCtum Trebell. & a propria significatione verborum non est recedendum, nisi manifesta sit testatoris voluntas, etiam voluntates defunctorum non sunt stricte interpretandæ, sed latius & plenius. Quia in fideicommissis sola testatoris voluntas spectatur *l. 11. §. 19. ff. de leg.* Nam testatoris voluntas, si de ea constet, verborum proprietati prævalet, *tit. 38. lib. 6. Cod. de leg. & fideic.* Tacitum iterum dupli censi consideratur. 1. Quod tacite ex testatoris mente relictum præsumitur cuius rei exemplum est in *l. 74. pr. ff. ad 81. Trebell. & l. 17. pr. ff. eod. 2.* Etiam tacitum fideicommissum est quod in fraudem legis relictum est incapaci *l. 10. pr. ff. de his quæ ut indign. quod fisco applicatur l. 1. pr. ff. de jure fisci. & porro fideicomissa dividuntur in fideicommissum purum, ex die, vel ad diem, vel sub conditione §. 2. inst. de fideicom. hæred.* fideicommissio hæreditatis, hoc cum legatis & fideicommissis rerum singularum commune est, ut non tantum purum aut sub conditio- ne, quomodo etiam directe potest hæres institui §. 9. *inst. de hered. inst.* verum etiam ex certo die aut in diem relinqui possit, sicut legata & singulæ res per fideicommissum, *l. 1. ff. de Condit. & demonstr.* quamvis directo hæreditas ita dari non possit: Nimirum diem hæredis institutioni adjectum, pro supervacuo haberi

8 DISPUTATIO JURIDICA

haberi placet , ne testator post tempus aut medio tem-
pore , atque ita pro parte intestatus decedat , quod ju-
ris civilis subtilitas non patitur §. 9. l. 7. d. Pr. j. At in
restitutione hæreditatis hoc jus non offenditur , cum is
qui restituit , nihilominus hæres maneat §. 3. Inst. de
fideic. hæred. solemnitas relinquendi fideicommissi
jure civili , alia est testamentaria , si testamento per hæ-
redem scriptum relinquatur § 2. inst. de fideicommiss.
hæred. alia codicillaris , si ab intestato deferatur per hæ-
redem ab intestato proximum §. ult. inst. de fideicom-
mis. si vero testator vult relinquere fideicommissum
in testamento necesse est , ut recto jure hæredem insti-
tuat , alioquin inutile est testamentum , in quo nemo
hæres instituitur §. 2. inst. de fideic. hæred.

CAPUT TERTIUM.

*Quinam fideicommissum relinquere & qui-
bus relinquere possunt.*

HAENUS de origine , definitione , & divisionibus
fideicommissorum egimus ; restat jam ut videa-
mus quinam fideicommissum relinquere & quibus re-
linqui possunt , & de illis eadem est doctrina , quaæ de
testatore & hærede , ut is solus relinquere possit , qui
& testamentum facere potest , l. 2. ff. de leg. 1. ergo
eos demum fideicommissum posse relinquere , qui jus
testandi habent , unde sequitur neminem posse fidei-
com-

committere hæredi ab intestato , nisi qui testamentum facere potest , l. 3. in pr. ff. de jur. Codicill. quia certissimum est illos , qui testamentum facere non possunt , nec codicillos posse l. 6. §. 3. ff. de jur. Codicill. & ideo servus non potest relinquere fideicommissum l. 1. §. 1. ff. d. leg. 1. ubi tamen proponitur Casus quo fideicommissum à servo relictum valet & dicendum ibi esse exceptionem a. l. 29. d. R. J. quod favore fideicommissorum receptum fideicomissa olim relinqui iis poterant quibus alias non licebat vel hæreditatem vel legata relinquere , hoc est iis , qui ex testamento capere non poterant , quales sunt deportati , proscripti , filii spuri &c. tale vero exemplum habemus apud Ciceronem lib. in Verr. qui de prætura urbana dicitur , ubi de P. Trebonii testamento commemorat , qui cum Aulum fatrem proscriptum haberet , scripsit ut hæredes jurarent se curatuos , ut ex sua cujusque parte ne minus dimidia , ad fratrem proscriptum perveniret , sed hodie talia fideicomissa non valent , & vindicantur fisco l. 1. §. 3. ff. de jur. fisc. fideicommissum deportato relictum ad fiscum quoque pertinuisse constat ex l. 7. ff. de leg. 3. adeoque jure novo legata tantum illis præstari possunt , qui habent testamenti factionis passivam , hoc est qui capere possunt ex testamento . §. 24. inst. de legat. juncto §. 2. eod.

CAPUT QUARTUM.

De actionibus, quæ hæredibus fideicommissariis ad consequenda fideicomissa competit.

Non puto me agere extra ordinem, si aliquid de actionibus, quæ hæredibus fideicommissariis competit, adjiciam: ut ordine progrederar, sciendum est, quod de fideicommissis olim nulla actio dabatur, §. 1. *inst. de fideic. hæredit.* cum fidem onerati testator sequeretur, & ei citra ullam obligationem vel vinculum confidebat; postea autem introductum est pro fideicommissis actionem dari, scil. actionem ex testamento, ut notat Bartol. in l. 30. ff. b. t. & fideicommissariam petitionem hæreditatis, quæ est actio in rem qua datur ei, cui relictum est fideicommissum universale adversus hæredem, ut quod relictum est actori præstet. Hoc autem procedit ubi hæres volens adiut hæreditatem, quod si coactus, tunc sicut à prætore compellitur adire hæreditatem, ita & à prætore compellitur eam hæreditatem restituere l. 4. l. 6. l. 14. §. pen. ff. ad Sctum Trebell.

CAPUT QUINTUM.*De Detractione Trebellianica.*

Hæres gravatus fideicommisso universalis omnia olim debebat restituere, ita ut nihil retineat, §. 3. *inst. de fideic. hæred.* sed ut tollerentur hæc incommoda factum est SCtum Trebellianum tempore Neronis Trebell. Max. & L. Annæo Seneca Coss. §. 4. *inst. eod.* eo-que cautum, ut actiones quæ antea dabantur hæredi & in hæredem in posterum darentur fideicommissario & in fideicommissarium, nullo vel lucro vel incommo-
do apud hæredem remanente d. § 4. cum autem SCto Trebellianio nihil erat cautum de deducenda portione, si hæres nimium gravatus esset, adeoque hæredes ob nul-
lum vel minimum lucrum recusabant adire hæreditatem. Tempore Imperatoris Vespasiani Augusti Pegaso & Pu-
sione Consulibus factum est aliud SCtum quod dictum
fuit Pegasianum, eoque cautum ut hæres gravatus per-
inde quartam retinere possit, atque & legatis retentio Fal-
cidix conceditur. Sed quia hoc SCto opus erat stipu-
lationibus inter hæredem & fideicommissarium, quas Im-
perator Justinianus appellat captiosas §. 7. *inst. b. t.* ideo-
que Justinianus iterum sublato SCto Pegasianno omnem
auctoritatem SCto Trebelliano accommodavit, d. §. 7.
hæc tria sunt cauta SCto Trebelliano, prout à Justinia-
no fuit reformatum, primo, ut liceat hæredi grava-
to quartam detrahere ex fideicommissis, secundo,
ut actiones & onera pro rata portione inter fideicommis-

12 DISPUTATIO JURIDICA

sarium & fiduciarium dividantur, tertio ut si hæres fiduciarius nolit adire hereditatem, cogatur illud facere nullo nec damno nec lucro apud eum remanente §. 7. *inst. de fd. hæred.* Admodum hinc oritur controversia quæstio, an filiusfamilias fideicommissio gravatus, duas quartas detrahere possit, legitimam, qua filius est, & Trebellianicam, qua est gravatus. Neg. in l. 6. in pr. *Cod. ad SCtum Trebellianum*; sed multi DD. dicunt legitimam esse æs alienum, filios esse Creditores, qui deducto hoc ære, adhuc Trebellianicam detrahere possint, sed erubescimus sine lege loqui, inquit *Nov. 18. Cap. 5.* nusquam legitima dicitur æs alienum, quod ex contractu & obligatione debetur, non quod ex providentia legis, sed jure Canonico liberis universale fideicommissio gravatis duplex detractio permissa est, quod quamquam civilibus legibus incognitum est, *Vid. Hot. Illust. quæst. 43.* usu tamen etiam per totum mundum in foro civili receptum esse testantur *Bald.* & *Sal.* Non solum autem hæres potest gravari fideicommissio, sed etiam fideicommissarius hæres §. penult. *inst. de fideic. hæred.* sed eo casu oritur quæstio an hæres fideicommissarius æque ac fiduciarius potest detrahere Trebellianicam, & dicendum quod non potest: solus vero hæres potest l. 47. §. 1. ff. *ad leg. falcid.* excipitur tamen casus in l. 1. §. 19. ff. *eod.* sc. nisi hæres in gratiam fideicommissarii, Trebellianicam non detraxerit d. l. 1. §. 19. sed jam queritur idque procul dubio receptum est favore militum quorum intuitu multa specialia recepta sunt quæ paginis locum non habent. *tot. tit. Inst. & pand. de test. milit.*

CA.

CAPUT SEXTUM.

Quando illa detractio cessat.

TRebellianica cessat, primo in testamento militis
l. 7. Cod. ad. leg. falcid. secundo cessat SCtum
 in fideicommisso ad pias causas relieto, si haeres fecerit
 moram in praestando *N. 131. Cap. 3.* tertio, si haeres
 neglexerit facere inventarium, *l. 10. §. 10. C. de jur.*
delib. quarto, si testator expresse voluerit ne detrahe-
 retur Trebellianica. *N. 1. Cap. 1. in med.*





COROLLARIA.

*Fidejussor in majorem summam acceptus
quam debitor principalis omnino non
tenetur.*

I.

II.

*Periculum rei venditæ regulariter ad empto-
rem pertinet.*

III.

*Polygamia simultanea tam divino quam
civili jure semper prohibita fuit.*

IV. Minor


I V.

*Minor viginti quinque annis potest esse
procurator ad lites.*

V.

*Cautio usufructuaria remitti a testatore
non potest.*

F I N I S.



TRAJECTORIA RENDELLIA.

Ex Officiorum Fratrum Societatis Academiae
Oppenheimi.

¶ *Propter riam superiorum intiger ratione
atque ha ratione*